11/17-004

Gratz 20 Decembr. 1848

Celeberrime Domine Professor!

Ignoscas quaeso, si opusculum meum exiguum Tibi, Viro de re botanica Meritissimo, tam tarde offero, ast terrores belli civilis antea prohibuere. Qualecunque sit opusculum, rogo ut benevole accipias! Conscius mihi certe sum, me opus nimis grave viribusque meis multo superius suscepisse; attamen quod tentavi et inchoavi, facilius nunc ab aliis emendari atque suppleri poterit. — Tibi certe gratissimus essem, si judicium Tuum de hocce meo opusculo justum atque severum communicare velis!

Scientiae naturales in Austria praesertim multum neglectae fuere, res botanica inprimis casui fortuito plerumque commissa erat, inde factum ut regiones Austriae orientales et australes praecipue parum investigatae vel prorsus neglectae fuere. Sic ipsa Styria inferior, plantis ditissima, nullum Botanices stu=diosum alit. Anno 1842 Dr Alexander,

Anglus! qui per biennium Graecii vixit, partem inferiorem Styriae investigavit, et multas plantas detexit, quae Botanicis Styriacis hucusdum ignotae erant.

Certe etiam Dalmatia et innumerae ejus insulae multas species nobis incognitas alit, quas cum Graecia et Italia inferiore communes habet. Paucas quasdam in Enumeratione inveniés allatas, quas Botteri detexit, ut: Stipa tortilis et Carex illegitima Cesati

Valde dolebam, ne florae Tuae egregiae Vol. II nimis sero accepisse, et vehementissimo desiderio tom 3 et forsan 4$^{\text{I}}_{2}$ expecto!

Herbarium possideo florae Austriacae, quod secundum Enumerationem meam ordinatum et signatum est, quodque semper locupletare maxime in desiderio habeo. Si mihi forsan nonnullas species a Te propositas, vel alias Dalmatiae et Italiae superioris indigenas communicare velles, alias pulchre siccatas germanicas vel etiam exoticas mutuas offero.

Libello meo addidi quasdam plantas et Domina Josepha Kablick, uxore pharmacopolae in Hohenelbe ad pedes Sudetorum

habitantis, in Sudetis ipsis alte ipsamet tectas,
quae certe pulchritudine excellunt! Est unica
femina mihi in Austria nota, quae rem herbariam
colit. Si Tibi istae paucae plantae gratae sunt,
plures adhuc accipere poteris.
Plantas duas dubias addidi. Est Selinum Seguierii
a Peltero missum, quod certe Cnidii species,
sed qualis? — Altera est Silene in Dalmatia
lecta, et pro S. gallica missa. Habeo adhuc
2 exemplaria parvula, flores in ramificationibus
solitarii! Eandem e Bohemia pro S. gallica
accepi, multo majorem.
Ausus sum addere chartam, continentem plantas
enumeratas, de quibus in dubio haereo. Gratissimus
Tibi ero, si adnotationes Tuas addere
et mihi remittere velles!
Finem agens, iterum atque iterum rogo, ut
oblata benigne accipias, faveasque

Tuo

Devotissimo
Dr Maly